Benedicite parens dulcissime, num aduocem, num inuitem?
acerbum nimis luctuosum valde, triste cumprimis et amar-
um est, in oculis parentum dilectum trucidari filium et
extingui uel ut rectius dicam in dilecto filio parentū
oculos extingui, gratum tamen imprimisq iucundum spectac-
ulum est, in oculis parentum dilectum triumphare filium,
quid faciam igitur? aduoco, sed in morte ut fortem
Christi athletam intuemini atq admiramini, in triumpho
tanquam filio uestro amantissimo congratulamini, uosq
quemadmodū parentes decet gloriamini, nunc igitur nunc o-
culos animumq aduertite beneuoli Aud: suos athleta clau-
sit, uos uestros aperite, num minis terretur Eusebius, num
mortem exhorrescit? quid, mortem? morem ille intellexerat
mori namq mos illi quotidianus fuit, uerbo, quis beneuoli
Aud: crederet tam fortem in periculis Alexandrum, tam
constantem in aduersis Hectorem Galli pullum ac filium
esse? non enim non, inquiebat Eusebius, uestræ me territant
minæ, quid furitis? expectate modò Numinis iram, ex-
pectate uindictam, non multum aberit, quid agitis oro,
obsecro respicite atq resipiscite, mortem mihi intentatis,
non meam ô fratres non meam, sed animæ uestræ morte
quia terribilis quia sempiterna est hanc expauesco, iniuria
nobis inferre paratis, feram non modò patienter sed constat
et etiam perferam, Dei uerò ter Opt: Max Patris ac

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20330r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20330r)